

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quomodo complures haeretici, post nepharios apud ipsos libros inuentos,
ad ecclesiam catholicam redierint. Cap. LXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

penitus euertantur: & hæc cautio eo vim suam porrigit,
vt non modo non in publicis, sed ne in priuatis quidem
ædificiis, aut in locis vllis separatis, huius vestræ super-
stitione amentiæ factiones coeant. At vero, quod multo
præstabilius est, si qui vestrum verè & syncerè religionis
curam habeant, ad catholicam ecclesiam reuertantur, &
eius sanctitatis sint participes, per quam poterūt ad veri-
tatē peruenire fraudulenta vestræ peruersæ mentis astu-
tia, hoc est, scelerata & perdita hæreticorum & schisma-
ticorum seditio, omnino ab hac prospéra temporū no-
strorum conditione seiungatur. Nostræ enim prosperæ
ac beatæ vitæ rationi qua Dei beneficio fruimur, est ad-
modum consentaneum, vt qui ætatem bona spe susten-
tam degant, ab omni vago & cœco errore ad rectam
viam à tenebris ad lucem, ab infœtia ad veritatē, à morte
denique ad salutem traducantur. Ac quo prouisio, hæc
in curandis erroribus robur & firmitatem sibi necessa-
riam assequatur mandauimus, vt supra dictū est, vt om-
nia superstitionis vestræ loca, in quibus conuenire so-
leatis, omnia dico hæreticorum templa (si modo templa
appellare conuenit) sine recusatione aut controuersia
diruantur, & diruta, absque mora catholicæ tradantur,
ecclesiæ: reliqua loca publico reip. ypsi addicantur, ne
vlla in posterum vobis conuentus celebrandi relinqu-
tur facultas. Sit igitur hoc ratum statutumque, vt post
hunc diem in nullo loco vel publico, vel priuato, nefarij
vestri conuentus in vnum coire audeant.

*Quomodo complures heretici, post nepharios apud ipsos libros
innuentos, ad ecclesiam catholicam redierint.*

CAP. LXIII.

AD hunc modum occultæ quasi latebræ & recessus,
æorum, qui alienam ab ecclesia catholica doctrinam,
& opinionem tenebant, imperatorio edicto euoluti,
patuerunt: bestiæ etiam immanes, quæ huius erant im-
pietatis authores exactæ. Ex illis verò, qui essent isto-
rum impulsu in fraudem & errorem inducti, alii impera-
toris minis perterriti, fallaci & fucata specie in ecclesiâ
obrepere

obrepere cœperunt, temporum conditioni callidè & dissimulanter cedentes: ac quoniam lex hominum libros perscrutari iusserat, tandem manifestò deprehensi fuetunt hi, qui vetitas & interdictas illas artes ad hominum perniciem comparatas consecrati fuissent: qua de re omnibus, ut dicitur, opibus viribusq; elaborabant, ut simulatione sibi salutem adipiscerentur. Alij fortè ad spem, quæ in Deo opt. max. poni debet, vero & ex animo se transferre. Quos, cum ecclesiarum presides accurate internoscere studerent, alteros ouium pellibus ostectos, adumbrata specie se insinuare conantes, procul amandarunt: alteros vero, qui idem integra & incorrupta mente instituerent, ubi temporis longinquitate explorando, de illis fatis exquisitè periculum fecissent, in multitudinem ascititorū ascripserunt. Hoc modo cum illis, qui alienam ab ecclesia opinionem & doctrinam sequebātur, actum est. Alios autem, qui dum in eorum dogmatum disciplina versabantur nihil concepissent impietatis, sed schismatricorum culpa se temerè à communi ecclesiæ congregatione & frequentia se iunxit, abiecta omni cunctatione in ecclesiam recenterunt. Hi igitur gregatim, tanquam ex Colonia reuertentes, suā recuperarunt patriam, & ecclesiam matrem agnouerunt. A qua diu aberrantes, cum gaudio & lætitia ad eam redierunt, membraq; communis corporis fuere in vnum coagmentata & concordia quasi compagibus firme copulata: Solaq; catholica Dei ecclesia in se coalescens, tum resplenduit, cum nusquam gentium vel hæreticæ vel schismatice factionis vestigium reliquum quidem esset. Cuius præclari facinoris causam, imperator Deo (cui solus ex omnibus imperatoribus qui aliquando extitissent curæ erat) acceptam planè retulit.

Tertij libri finis.

Quo Ev-